

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0443

0441

0447

0437

429

naturales. Nos Christiani dicimus, hos campos aduri fulgoribus flammei gladii, si verum est, quod attingant regionem paradisi. Judaei dicunt, hunc campum esse quodammodo sepem camporum Elysiorum. Naturales vero credunt, hunc campum extendi huc a zona torrida et quod per eum quis poterit vita comite in regionem torridae zonae pervenire.

Processimus ergo toto illo die in terra mirabili habentes a dextris montes p[re]e caumate calvos et albos, a sinistris vero campos Elysii adustos et nigros, in quibus non una plantula vel graminula reperitur. Cum autem sol occasum peteret, pervenimus in unum horridum torrentem, per quem suis temporibus fluxus impetuosus occurrit. In hoc torrente tentoria fiximus et ad pernoctandum in eo nos disposuimus. Solebam autem semper fixis tentoriis nostris adire Calinum eumque de nomine loci interrogare. Cum more solito ad eum hoc sero venissem et interrogarem de nomine illius deserti et torrentis, parum deliberavit et ridendo dixit, locum illum Albaroch dici, quod quidam alii Arabes et Saraceni circumstantes audientes similiter riserunt, signantes mihi, ut scriberem Albaroch. Habui enim in manu atramentum et pennam cum papyro ad scribendum et ita, ut mihi dixerant, scripsi Albaroch in oculis eorum, et me scribente et legente valde riserunt. Porro caussam risus eorum pro tunc quidem ignoravi, sed postea scivi, trufavit enim me Calinus et alii pagani et nomen bestiae Machometi pro nomine loci tradidit et ideo riserunt. Habetur enim in Alchorano, quod quadam die, dum staret Machometus in Mecha ante fores domus sua, venit angelus Gabriel et adduxit secum per habenas pulcherrimam et velocissimam bestiam, (36 a) cui nomen erat Albaroch, et erat bestia illa talis formae: erat major asino et minor mulo, et habebat faciem decoram hominis et crines ejus erant de perlis, pectus de smaragdo, cauda de rubino, oculi clariores sole, pedes et ungulæ ut cameli, et supra humanam aestimationem erat pretiose sellata. Haec bestia nullum hominem super se admisit sedere, nisi Gabriel ei testimonium de bonitate perhiberet; juravit autem Gabriel bestiae per viventem Deum, quod numquam hominem meliorem Machometo invenisset, ideo deberet eum suscipere. Hoc

0452

0432

0492

0392

0542

0342

0942

Ende

Anfang

